



CONGREGATIO DE CULTU DIVINO  
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Prot. 672/15

## KIELCENSIS

Beatum Vincentium Kadłubek, qui, munere episcopi Cracoviensis abdicato, monasticam vitam in coenobio Androviensi amplexus est, clerus et christifideles illius urbis v. d. *Jędrzejów*, peculiari necnon assiduo cultu prosecuti sunt et adhuc proseguuntur.

Inde Excellentissimus Dominus Ioannes Piotrowski, Episcopus Kielcensis, communia vota excipiens, etiam auctoritatis civilis, electionem Beati Vincentii Kadłubek, episcopi, in Patronum apud Deum illius urbis rite approbavit. Idem vero, litteris die 6 novembris 2015 datis, enixe rogavit, ut electio et approbatio huiusmodi iuxta Normas de Patronis constituendis confirmarentur.

Congregatio porro de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a Summo Pontifice FRANCISCO sibi tributarum, attentis expositis, cum electionem et approbationem ad iuris praescriptum peractas esse constet, precibus annuit atque

### BEATUM VINCENTIUM KADLUBEK, EPISCOPUM PATRONUM APUD DEUM URBIS v. d. *JĘDRZEJÓW*

confirmat, omnibus cum iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 25 novembris 2015.

*Robertus Card. Sarah*

Robertus Card. Sarah  
Praefectus

*+ Arturus Roche*

☒ Arturus Roche  
Archiepiscopus a Secretis